


10
100



DANIELIS NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONS. AVL. ET PROF.

IVR. ORDIN. IN REGIA

FRIDERICIANA

PRAECOGNITA
ERVDITIONIS GENERALIA
AVDITORVM VSIBVS
DESTINATA.



HALAE MAGDEBURGICAE

IMPENSIS OFFICINAE LIBRARIAE RENGERIANAE,

M D C C L V.





259,69



PRAEFATIO.



didi ante septennium, et
quod excurrit, anno ni-
mirum MDCCXLVII,
*Praecognitavmiversae eru-
ditionis generalia et in spe-
cie iurisprudentiae natu-
ralis tam quam positivae
in vsum praelectionum pu-
blicarum adornata.* Prodit nunc hu-
ius libelli non tam iterata editio, quam
potius eius pars, nouo habitu induita.
*Quum enim, post modo dicta praecogniti-
ta, systemata mea iurisprudentiae tam*
naturalis quam positivae MDCCXLIX
prodierint, eaque praecognitis harum
disciplinarum specialibus sint instructa,
nunc a praecognitis eruditionis genera-

(2 libus,

P R A E F A T I O.

libus separanda fuerunt praecognita haec specialia, hincque sola praecognita generalia in hoc libello recudi curauit. Haec vero partim coarctari, partim suppleri, partim emendari, e re eorum esse duxi, quorum usibus sunt destinata. Inde enatus est hic, quem nunc TIBI L. B. offero, libellus, a priori omnino multis modis diuersus. Praesertim adieci in subsidium memoriae propositionibus proxima principia, ex quibus in ipsis praelectionibus, quarum usui destinatus est hic libellus, demonstratio earum deducenda; id quod ideo moneo, ne quis credat me pro exasciatis demonstrationibus venditare ea, quae hunc in finem propositionibus addidi. Ceterum de utilitate et necessitate huius instituti, in usum tyronum generalia eruditionis praecognita delineandi, nihil addo, quum contra talia negantem non sit disputandum. Vale itaque L. B. et conatibus meis faue. Halae d. XXX. Octob. MDCCLV.

CON-

CONSPECTVS.

DISCVRSVS PRAELIMINARIS.

SECTIO I. De eruditionis natura et in-
dole

TIT. I. De veritatibus eruditionem
constituentibus

TIT. II. De genuina eruditionis no-
tione

TIT. III. De eruditis eorumque spe-
ciebus

SECTIO II. De partibus eruditionis.

MEMBRVM I. De historia eiusque
partibus.

TIT. I. De historia in stricto sen-
su sumta.

TIT. II. De notitia status entis.

MEMBRVM II. De eruditione dog-
matica eiusque partibus.

CAP. I. De philosophia in sensu
latiori sumta.

TIT. I. De matheſi.

TIT. II. De philosophia in spe-
cie ſic dicta.

CAP. II. De eruditione positiva.

TIT. I. De philologia, arte he-
raldica et diplomatica.

TIT. II. De theologia reuelata.

TIT. III. De iurisprudentia po-
ſitiua.

SECTIO III. De methodo docendi et di-
scendi eruditionem.

MEMBRVM I. De methodo in ge-
nere.

MEMBRVM II. De methodo docen-
di eruditionem.

TIT. I. De methodo docendi per
scripta.

TIT. II. De methodo docendi vi-
va voce.

MEMBRVM III. De methodo discen-
di eruditionem.

TIT. I. De methodo discendi in
academiis.

TIT. II. De methodo discendi fini-
tis studiis academicis.

Q. D.



Q. D. B. V.

PRAECOGNITA ERUDITIONIS GENERALIA

DISCURSUS PRAELIMINARIS.

§. 1.

Praecognita sunt tractatio, quae continet ea, quae cognita esse debent, antequam alterius cognitio acquiri potest. Quod si itaque ponis id, cuius cognitio acquirenda, esse eruditionem, inde oritur notio praecognitorum eruditionis, quae sunt tractatio quae continet ea, quae cognita esse debent, antequam eruditionis cognitio acquiri potest.

§. 2.

Quum ea quae cognita esse debent, antequam eruditionis cognitio acquiri potest, partim talia sint quae omnibus eruditionis

A

par.

partibus communia sunt, partim talia, quae non nisi hanc vel illam eruditionis partem respiciunt: praecognita eruditionis com- mode diuidi possunt in generali et speciali, prout vel prius, vel posterius ponis.

§. 3.

Praecognita eruditionis generalia nullas admittunt species. Specialia vero tot admittunt species, quot sunt diuersae eruditio- nis partes. Hinc sunt praecognita *Theo- logiae revelatae, Medicinae, Philosophiae, Iuris- prudentiae positivae etc.*

§. 4.

Praecognita eruditionis generalia conti- nere debent tractationem de 1) eruditio- nis natura et indole; 2) vniuersae eruditio- nis singulis partibus; 3) methodo docen- di et discendi eruditionem in genere (§. 2.).

§. 5.

Praecognita eruditionis specialia conti- nere debent tractationem de 1) eius eruditio- nis partis, cuius praecognita sunt, natu- ra et indole; 2) partibus quibus constat; 3) methodo docendi et discendi eam in specie (§. 2.).

§. 6.

Quum non sine insigni detimento stu- diosae iuuentutis in scholis pariter ac aca- demi-

demiis negligi soleant praecognita eruditio-
nis generalia, sive illotis, ut aiunt, ma-
nibus studia aggrediantur, in hoc libello, in
publicis praelectionibus vberius explican-
da, ea tradere decreui. Sistet is in tribus
sectionibus summa capita, ad quae iuxta
§. 4. redeunt ea, quae praecognita erudi-
tionis generalia continere debent.

SECTIO I.

**ERUDITIONIS NATVRA ET
INDOLE.**

§.

7.

Ad cognoscendum eruditionis naturam
et indolem necesse est 1) quaedam de
veritatibus, quae eruditionem constituunt,
praemitti; 2) ipsam eruditionis notionem
distincte explicari: quumque, quae de
eruditionis subiecto, eruditis nimirum,
scita necessaria sunt, etiam eo spectent, ut
eruditionis natura et indoles penitius per-
spiciatur, 3) de iis quaedam addi. Hinc,
quae in hac sectione pertractanda sunt, ite-
rum ad tria redeunt capita, in tribus qui
sequuntur titulis euoluenda.

A 2

TIT.

TIT. I.

DE VERITATIBVS ERVDITIONEM
CONSTITVENTIBVS.

§. 8.

Veritas triplex est 1) *Metaphysica* si ens habet essentiam sibi debitam; 2) *Moralis* seu *Ethica* si adest conuenientia verborum cum cogitationibus nostris; 3) *Logica* quae est consensus iudicii nostri cum obiecto. De logica hic loquor.

§. 9.

Logicae veritates sunt vel tales quae immediate in sensus incurunt, vel tales non sunt. In priori casu appellantur *vulgares*, in posteriori casu vero *non vulgares*.

§. 10.

Non vulgares veritates, de quibus hictantum, loquor, diuiduntur 1) in *singulares* et *vniuersales* seu *dogmata*. *Singulares* dicuntur, si de individuo quodam individualia praedicantur. *Vniuersalium* nomine vero omnes reliquae veritates veniunt.

§. 11.

Ex his ipsis notionibus fluit 1) *omnes veritates*, quarum subiectum est genus vel species, esse *vniuersales*. 2) *Veritatum vniuersalium vtilitatem*

litatem, maiorem esse vtilitate veritatum singularium.

§. 12.

Veritatum vniuersalium vel ea est indoles, vt in rerum natura et essentia rationem habeant sufficientem, tumque dicuntur *naturales*; vel ea, vt in voluntate entis rationalis rationem sufficientem habeant, tumque dicuntur *posituae*. Quae vel *divinae*, vel *humanae* sunt, prout vel in Dei, vel in hominis voluntate rationem sufficientem habent.

§. 13.

Rationes veritatum vniuersalium duplicitis generis sunt. Licet enim ex omni veritatum ratione intelligi possit, cur veritas potius talis sit, quam non, nonnullae rationes tamen ita comparatae sunt, vt ex iis simul intelligi possit, ita non esse contradictionem inuoluere, nonnullae vero ita comparatae non sunt. In priori casu rationes dicuntur *necessariae*; in posteriori vero *arbitrariae*.

§. 14.

Veritates naturales et posituae sunt, prout ex ipsis definitionibus patet, in multiplice differentia. Potiores hic recensere placet. 1) *Veritates naturales sunt aeternae et immu-*

immutabiles, positivae vero non. 2) *Omnis veritates naturales habent rationes necessarias, ex positivis vero aliae necessarias, aliae vero non nisi arbitrarias rationes habent.* 3) *Veritates naturales probantur ex suis rationibus, non vero positivae, licet habeant rationem necessariam.*

§. 15.

Hactenus de prima veritatum non vulgarium diuisione actum, sequitur nunc secunda. Sunt enim II) veritates non vulgares vel pragmaticae, vel non. *Pragmaticae* appellantur, si praestant usum in dirigendis hominum actionibus. In casu opposito tales non sunt. Pragmaticae veritates vero, vel tales sunt quae praestant usum in dirigendis hominum actionibus alias veritates respicientibus, vel non. In priori casu dicuntur *secundae*, in posteriori *tertiae*. Foecundae veritates, si in eo praestant usum in dirigendis hominum actionibus alias veritates respicientibus, quod ex iis appareat, quo cogitationes dirigendae sint, ut reperiatur quod quaeritur, dicuntur *notiones directrices*; si vero in eo usus, quem praestant in dirigendis hominum actionibus alias veritates respicientibus, consistit, quod principia contineant ex quibus aliae fluunt, *foecundae in specie sic dictae* appellantur.

L. B.

L. B. DE WOLFF de notionibus directricibus
in Hor. subs. A. 1729. Trim. Vern. n. 4.

§. 16.

Hinc fluit 1) veritatum non pragmaticarum
notitiam esse inuilem, 2) Inter pragmaticas fo-
cundarum notitiam maiorem praestare utilitatem
quam infoecundarum.

§. 17.

Tandem III) veritates non vulgares sunt
vel tales quae in connexionem redactae et
per distinctas notiones explicatae existant,
vel non. In priori casu veritates in formam
artis redactae dicuntur. In posteriori vero
in formam artis nondum redactae appellantur.

§. 18.

Veritates non vulgares connecti variis
modis fieri potest. Aut enim connexionio in
eo consistit, quod veritates quae ad idem
subiectum spectant, in eundem locum sint
congestae, nulla habita ratione, quomodo
cognitioni unius a cognitione alterius depen-
deat, tumque dicuntur secundum ordinem
scholae connexae. Aut connexionio in eo con-
sistit, quod praemissae sint, quae sequen-
tibus intelligendis inferunt, nulla habita
ratione an ad idem subiectum spectent,
vel non, tumque dicuntur secundum ordinem
naturalem connexae. Aut uterque conne-

Etendi modus, quatenus possibile est, simul obseruatus, tumque dicuntur secundum ordinem mixtum connexae.

§. 19.

Hinc sequitur veritates in formam artis redactas triplicis generis esse, prout vel secundum ordinem *scholae*, vel secundum ordinem *naturalem*, vel secundum ordinem *mixtum* in connexionem redactae sunt.

§. 20.

Si veritates, quae secundum ordinem *naturalem* in artis formam redactae sunt, ex rationibus necessariis per concatenata ratiocinia deducuntur, *systematice* in formam artis redactas eas appello. Si vero ita non sunt inter se connexae, *non systematicae* in formam artis redactas eas dico.

§. 21.

Ex dictis fluit 1) omnes veritates, siue *singulares* siue *uniuersales*, in formam artis redigi posse, et quidem tam secundum ordinem *scholae*, quam *naturalem* et *mixtum*. 2) Non nisi veritates *uniuersales*, si sunt *naturales*, *systematice* in formam artis redigi posse. 3) Veritates *uniuersales*, quae *positiuae* sunt, vero, eatenus quidem, quatenus habent rationes *necessarias*, *systematice* in formam artis redigi posse, non autem quatenus habent rationes *arbitrarias*.

§. 22.

§. 22.

Complexus veritatum vniuersalium systematice in formam artis redactarum, dicitur *systema*. Hinc sequitur veritates singulares in *systema redigi non posse*. *Vniuersales vero, quae naturales sunt, in systema redigi posse, quum quae positivae sunt, non simpliciter in systema redigi possint.* *Vnde systema veritatum positivarum potius analogum systematis, seu systema imperfectum, quam systema veri nominis est.* (§. 21.).

§. 23.

Sufficient haec, pro instituti ratione, de veritatis notione eiusque speciebus. Restant adhuc quaedam de veritatum cognitione monenda, quae redeunt ad cognitionis veritatum fontes, media et species.

§. 24.

Fontes cognitionis veritatum sc. logicarum de quibus, prout dictum, semper loquor, sunt id ex quo veritatem cognoscimus.

§. 25.

Sunt itaque veritatum singularium fontes testimonia fide digna et experientia propria. Veritatum vniuersalium vero, quae naturales sunt, fons unicus est rerum natura et essentia, cum contra positivarum fons sit voluntas entis rationalis, ex reuelatione eam continentem haurienda. Notandum tamen 1) voluntatem entis ratio-

A 5 nalis

nalis esse vel expressam, vel tacitam, ut sic ipsum silentium nonnunquam fons veritatis positivae esse possit, veluti silentium scripturae sacrae seu legum positivarum. De quo silentio notandum in genere: quoties silet ens rationale, toutes tacite vult, quod fluit ex rerum natura & essentia, modo reuera sileat. Vnde notandum 2) non semper in defectu verborum expressorum adesse silentium, quum tum adhuc analogia et argumenta locum habeant. Ast de his pluribus in logica positiva, quam meditamus, agendum.

§. 26.

Media cognoscendi veritatem sunt id per quod veritatem cognoscimus.

§. 27.

Sunt itaque usus organorum sensoriorum et rectae rationis media cognoscendi veritatem.

§. 28.

Species cognitionis veritatum sunt cognitio historica, si veritatem nude cognoscimus, et philosophica, si veritatem cognoscimus una cum eius ratione.

§. 29.

Cognitio veritatis historica quidem nullos habet gradus, ast philosophica gradus, qui oriuntur ex rationis proximae veritatis analysi, admittit. Est enim quaelibet veritas una, ast ratio-

rationes veritatis dantur plures, veluti rationis proximae ratio remota et ita porro.

TIT. II.

DE GENVINA ERVDITIONIS
NOTIONE.

§. 30.

Si in re vlla, sane in eruditionis conce-
ptu formando, inter se dissentunt eru-
diti. Potior ratio huius dissensus est, va-
ria acceptio huius vocis. Vnde potiores
acceptioe praemittendae, antequam ipsa
notio formari possit.

§. 31.

Sumitur vero eruditionis vox vel obie-
ctiue seu systematice, vel subiectiue seu
habitualiter. Si *obiectiue* sumitur, consi-
deratur tanquam aliquid quod extra ho-
minem existit. Si vero *subiectiue* accipitur,
consideratur tanquam qualitas animae hu-
manae.

§. 32.

Eruditio subiectiue sumta iterum vel in
abstracto, vel in *concreto* consideratur: pro-
ut vel ad certum individuum humanum re-
fertur, vel non.

§. 33.

§. 33.

Si itaque *eruditio obiective* sumitur est complexus veritatum logicarum; haud vulgarium, in formam artis redactarum. Si vero *subiective* sumitur et quidem in abstracto, est notitia veritatum logicarum haud vulgarium, in formam artis redactarum.

§. 34.

Ad cognata eruditionis pertinet *ars*, quae est habitus determinandi actum entis alicuius. *Theoria artis* vero est complexus veritatum vniuersalium in formam artis redactarum, quae continent regulas secundum quas actus entis alicuius determinandus. *Theoriae artis* opponitur *praxis artis*, quae est ipsa determinatio actus entis.

§. 35.

Eruditio obiective summa dicitur *practica*, quatenus veritates eam constituentes concernunt determinationem actus entis; quatenus non, dicitur *theoretica*.

§. 36.

Eruditio et ars differunt omnino inter se, ita ut nulla eruditionis pars sit ars ipsa. *Ast tota eruditio practica est theoria artium, omnesque artium theoriae pertinent ad eruditionem, modo non contineant veritates vulgares.* Eruditio enim non est habitus, licet etiam subiective summa-

fumatur. Reliqua propositionis membra ex
ipsis definitionibus per se fluunt.

§. 37.

Hinc fluit 1) si quaedam eruditionis partes
appellantur artes, sub artis voce potius iheo-
riam artis, quam ipsam artem intelligendam esse,
et tum omnes eruditionis partes quae pertinent
ad eruditionem practicam, artes appellari posse.
2) Distinctionem inter artes et scientias (Künste
und Wissenschaften) non nisi in eo sensu ad-
mittendam esse, quo per scientias intelliguntur
eruditionis partes, sub artium nomine vero ipsae
artes, non artium theoriae, veniunt, quippe quae
scientiae sunt. 3) Controversias, an haec vel
illa eruditionis pars, veluti Medicina, ad scien-
tias, an vero ad artes referri debeat, redire ad
logomachiam.

§. 38.

Licet adsint veritates non vulgares, licet sint
homines qui earum notitia instructi sunt, inde
nondum sequitur adesse et existere eruditionem.
Requiruntur enim ad eruditionem verita-
tes in formam artis redactae (§. 33.).

§. 39.

Si itaque origo eruditionis inuestigenda non
sufficit hoc vel illo tempore vixisse homines cogni-
tione veritatum non vulgarium instructos, sed
potius eo despiciendum an veritates, quarum no-
ticias

titia instructi fuerunt, in formam artis iam fuerint redactae.

TIT. III.

DE ERVDITIS EORVMQVE SPECIEBV.

§. 40.

Eruditus dicitur, qui callet eruditio-

nem.

§. 41.

Ex eruditio notione fluit eruditum 1) sci-
re veritates non vulgares; 2) in connexione; 3)
earumque distinctas habere notiones necesse esse
(§. 33. 17.).

§. 42.

Hinc porro sequitur 1) qui neque scripto,
neque sermone, cum aliis animi sui sensa communi-
care potest, cum non esse eruditum et commune
differit: er ist wohl gelehrt. aber er kann
nicht von sich geben esse falsum. 2) Eum
qui dono proponendi destituitur non statim pro-
rudi et imperito habendum esse. 3) Non quem-
libet, qui prodigus verborum garrit de rebus ad
eruditionem pertinentibus, statim pro erudito esse
habendum.

V. c. BAVMEISTER de eruditis qui animi
sui sensa exprimere nesciunt, von Gelehr-
ten so es nicht können von sich geben. In
Exer-

Exercitationibus Eius academicis & scho-
lasticis p. 1. seqq.

§. 43.

Pro diuersitate partium eruditionis quas
callent, eruditi vel tales sunt qui non
nisi vnam principalem eruditionis par-
tem, vel tales qui varias principales eruditionis
partes callent. Postiores dicuntur
Polyhistores. Prioris generis eruditi sunt,
pro diuersitate principalium eruditionis
partium, *Theologi*, *ICti*, *Medici*, *Historici*, *Phi-
losophi*, *Mathematici*, *Philologi*.

§. 44.

Pro diuersitate speciei cognitionis qua
imbuti, sunt eruditi vel *empirici*, qui histo-
rica, vel *rationales*, qui philosophica cogni-
tione veritatum non vulgarium, in formam
artis redactarum, cognitione imbuti.

§. 45.

Hinc 1) eruditi *empirici* ea quae cognoscunt
memoria saltem comprehendunt, *rationales* ve-
ro intellectu. 2) *Rationales* eruditi *prae empiri-
cis* praeccidentiam merentur.

V. C. BAVMEISTER Pr. de eruditis qui me-
moriā quam iudicium diligentius colunt
von den Gedächtnissgelehrten.

§. 46.

Pro diuersitate vitae generis quod se-
quun-

quuntur eruditi, vel tales sunt qui eruditione sua aliis inferuiunt, vel tales qui in otio litterario viuunt. Piores vel tales sunt qui docent, quales sunt *Professores*, *Concionatores*, *Didascalii*, et communis nomine appellantur *Eruditi theoretici*: vel tales, qui cognitionem quam habent ad casus obvios applicant, quales sunt *Indices*, *Advocati*, *Medici*, *Conjiliarii*, *Magistratus* et communis nomine *Eruditi practici* appellantur.

Dicatur von gelehrten Handlangern.

§. 47.

Impossibile est bonum eruditum theoreticum non esse bonum eruditum practicum, si discesseris ab habitu. Is enim demum bonus theoreticus appellandus est, qui ea scit quae ad praxin requiruntur. Habitus vero sine cerebri ex exercitio acquiri nequit.

§. 48.

Pro diuersitate modi quo vtuntur in veritatibus ab erroribus distinguendis, sunt eruditi vel *Sectatores*, qui in veritatibus ab erroribus distinguendis alterius iudicium sequuntur; vel *Ecclectici*, qui in veritatibus ab erroribus distinguendis proprio vtuntur iudicio.

§. 49.

Ergo sectator aliquid pro vero aut falso habet

bet quoniam hic vel ille, quem ob sapientiam vel aetatem veneratur, id pro vero vel falso habet: eclecticus vero, quoniam probari potest verum esse, quod pro vero, falsum quod pro falso habet.

§. 50.

Si quis talis eruditus est, qui nihil gratis adsumit, sed omnia asserta sua demonstrat, eius sectatorem aliquem esse impossibile est. Qui enim eius asserta pro veris adsumit, is per demonstrationem convincitur.

Dicatur de quaestione: An dentur Wolfiani? pro diuersa huius vocabuli acceptio ne, prout vel denotat sectatorem Wolfii, vel eruditum qui habitu asserta sua demonstrandi pollet.

§. 51.

Hinc fluit, eum qui omnes eruditii cuiusdam doctrinas tanquam veras adsumit easque defendit, esse eius sectatorem, non simpliciter verum esse.

§. 52.

Sunt etiam eruditi pro veritatum quarum cognitione instructi sunt differentia vel Eruditi pragmatici (*brauchbare Gelehrte*) vel non: prout vel veritatum pragmaticarum, vel veritatum non pragmaticarum cognitione imbuti sunt.

B

§. 53.

§. 53.

Tandem etiam eruditii diuiduntur in *eruditos primi ordinis* seu *Inuentores*, qui habitu veritates adhuc latentes inueniendi polllent, et *eruditos secundi ordinis*, qui illo non pollent.

§. 54.

Cuiuscunque generis eruditii, sicque non Physici et Mathematici tantum, sed et Theologi, ICti, atque possunt esse inuentores. Nulla eruditionis pars enim ita exulta est ut nouis veritatis locupletari nequeat.

Perill. L. B. de CRAMER Or. de ICto in-
uentore Marb. 173

§. 55.

Licet eruditii nullam constituant rempublicam, sicque questio de forma eius sit otiosa, simulacrum reipublicae tamen non deest. Vi definitionis reipublicae.

Perill. ab Engelbrecht Or. de nullo inter eru-
ditos et signallatim ICtos imperio. Gryphis-
waldiae 1737.

SECTIO II.

DE
PARTIBVS ERVDITIONIS.

§. 56.

Complexus veritatum logicarum haud
vulgarium in formam artis redacta-
rum

rum, quae sub uno genere, vel una specie comprehendendi possunt, dicitur pars eruditionis. Quaelibet eruditionis pars vero disciplina appellatur.

§. 57.

Divisio eruditionis in partes seu disciplinas variis modis possibilis est, et ipsi eruditи disciplinas mox hoc, mox alio modo constituant, pro diuersitate acceptationis huius vocis et diuidendi fundamenti.

§. 58.

Non solum vero divisio eruditionis in partes variis modis possibilis est, sed et dantur possibles eruditionis partes, quae nondum existunt. Hinc et inde oritur diversitas in constituendis eruditionis partibus, quod alii non nisi earum partium eruditionis rationem habeant, quae iam actu existunt, alii vero et eas, quae concipi possunt, licet nondum existant, determinent.

§. 59.

Antequam itaque ipsae eruditionis partes definiendaе prae notandum 1) eruditionem hic sumi obiective. 2) In determinandis partibus eam veritatum non vulgarium differentiam, quod aliae sint fin-

B 2 gula-

20 Sed. II. De partibus eruditionis.

gulares, aliae vniuersales seu dogmata pro fundamento adsumi. 3) Non nisi de iis partibus eruditionis, quae iam existunt, me hic sollicitum esse.

§. 60.

His praesuppositis ex mea sententia tota eruditio duabus constat partibus, *Historia* nimirum et *Eruditione dogmatica*, de qua vtraque nunc agendum.

MEMBRVM I.

DE
HISTORIA EIVSQUE
PARTIBVS.

§. 61.

Historia in sensu latiori sumta est pars eruditionis, quae continet veritates singulares.

§. 62.

Singulares veritates in eo differunt quod aliae concernant entis factum, aliae entis statum. Hinc ex mea sententia historia iterum in duas abit partes, *Historiam* nimirum in stricto sensu sumtam et *Notitiam* status entis.

TIT.

TIT. I.

DE HISTORIA IN STRICTO SENSV
SVMTA.

§. 63.

Historia in sensu stricto sumta est pars historiae in sensu latiori sumtae, quae continet veritates de factis entis. Est vero factum omnis actio agentis, qua aliquid extra se existentiae dat.

§. 64.

Licet facta differant pro entium agentium diuersitate, siveque alia sint Dei, alia hominum, alia brutorum &c. facta, hic tamen non nisi hominum facta attendenda sunt, quum quoad reliquorum facta non existent veritates in formam artis redactae. Hominum facta vero, quatenus veritates de iis in formam artis redactae sunt, aut leges concernunt, aut non. Hinc oritur historiae in sensu stricto sumtae diuisio in historiam iuris et historiam in sensu strictissimo sumtam.

§. 65.

Quum leges differant pro diuersitate auctorum, hincque vel diuinae, vel humanae sint, haecque iterum pro hominum, qui earum auctores sunt, diuersitate differant: facile patet, historiam iuris abire in

B 3 histo-

22 *Sect. II. De partibus eruditionis.*

historiam *iuris diuini et humani*, *humanique iuris* historiam esse historiam *iuris Romani, Germanici, Gallici &c.*

§. 66.

Historia in sensu strictissimo sumta versatur circa facta quae leges non concernunt. Haec, quatenus veritates de iis informam artis iam redactae sunt, vel religionem, vel rem publicam, vel eruditio nem ipsam, vel artes ipsas concernentia facta sunt. Historiae in sensu strictissimo sumtae partes itaque sunt historia *ecclesiastica, ciuilis seu politica, eruditionis, artium.*

Dicatur de historia linguarum.

§. 67.

Quaelibet harum historiae partium divedi potest in *uniuersalem* et *particularem*, prout aut omnes religiones, vel hanc seu illam; aut omnes respuplicas, vel hanc seu illam; aut totam eruditio nem, vel hanc seu illam eius partem; aut omnes artes, vel hanc seu illam, concernentia facta ponis.

§. 68.

Historia ecclesiastica particularis pro religionem diuersitate in historiam *ecclesiasticam christianam, iudaicam &c.*; Historia ci vilis particularis pro rerumpublicarum di versitate in *historiam Germanicam, Danicam, Gallicam &c.*; Historia eruditio nis particu laris

laris pro partium eruditionis diuersitate in historiam *Theologiae*, *Iurisprudentiae* &c. Historia artium particularis pro artium diuersitate in historiam *artis typographicae*, *pictoriae* &c. subdividitur.

Dicatur de biographia et bibliographia, quae ad partes historiae eruditionis proprie referri nequeunt, sed potius partes notitiae status entis sunt. Vid. §. 76.

TIT. II.

DE NOTITIA STATVS ENTIS.

§. 69.

Sub notitiae status entis nomine mihi venit pars historiae in sensu latiori sumtae, quae continet veritates de statu entis.

§. 70.

Veritates de statu entis quas notitia status entis sistit, aut concernunt statum qui olim fuit, aut qui adhuc est. Hinc oriuntur notitiae status entis summae partes, quae sunt *historia antiquaria* et *notitia status entis in specie sic dicta*.

§. 71.

Historia antiquaria abit in *sacram* et *profanam*, prout ens, cuius statum qui olim fuit veritates concernunt, est vel religio, vel non. Vtraque iterum admittit sub

B 4

par-

24 *Sect. II. De partibus eruditionis.*

partes diuersas, pro diuerso diuidendi fundamento, ex quo diuisio formatur, quibus iam immorari nolo.

§. 72.

Notitia status entis in specie sic dicta admittit infinitas partes, si possibilium partium hic habenda esset ratio. Actu existentes partes vero redeunt ad *Notitiam rerum publicarum*, *Notitiam corporum naturalium*, *Numismaticam*, *Heraldicam historicam*, *Litteraturam* et *Geographiam historicam*, prout vel respuplicas, vel corpora naturalia, vel numeros, vel insignia, vel eruditos seu libros, vel globum terraqueum quoad diuisiōnem eius in partes, pro obiecto habent.

§. 73.

Notitia rerumpublicarum abit in *universalem* et *particularum*, prout vel ad omnes respuplicas extenditur, vel ad hanc seu illam restringitur. Hinc ad particularem notitiam rerumpublicarum notitia *Galliae Hispaniae*, *Germaniae* etc. pertinet. Ex his vltima, ob peculiarem germaniae structuram politicam, vel *imperialis* est, si Imperium R. G. vel *provincialis*, si singulas provincias Imp. R. G. pro obiecto habet.

Celeb. Dn. PAVLI Pr. von dem Begriff und
denen

Sect. II. De partibus eruditionis. 25

denen Grenzen der Staatskenntniß.

Halle 1750.

§. 74.

Notitia corporum naturalium concer-
nit vel corporum elementa, vel corpora
ipsa, vel corporum ceras affectiones.
Oriuntur inde in primo casu *Historia elemen-
torum corporum* seu *Cosmologia historica*; in
secundo *Historia naturalis*; in tertio vero,
pro diuersitate affectionum, variae erudi-
tionis et speciatim notitiae corporum natu-
ralium partes, scilicet, si affectio est struc-
tura corporis, praesertim humani, *Anatomia*;
si est ortus eius ex alio per generationem,
Genealogia.

§. 75.

Historia naturalis triplex est, pro tri-
plici corporum naturalium differentia.
Sunt vero vel talia quae motu interno et
fensatione destituta, quae *Fossilia*; vel ta-
lia quae motu interno praedita, sensatione
vero destituta, quae *Plantae*; vel talia quae
motu interno et sensatione praedita, quae
Animalia dicuntur. Hinc historia naturalis
subdiuiditur in *Historiam* seu *Notitiam Fossi-
lium, Plantarum et Animalium*.

Dicatur de Botanica.

B 5

§. 76.

§. 76.

Litteratura sub se continet tanquam partes *notitiam eruditorum* s. *notitiam biographicam* s. *biographiam*, et *notitiam librorum* s. *notitiam bibliographicam* s. *bibliographiam* prout vel eruditos, vel libros concernit. Inde patet historiam litterariam late sumtam, pro complexu omnium veritatum singularium eruditionem concernentium, tres partes sub se continere, historiam eruditionis, quae est pars historiae in sensu strictissimo sumtae (§. 68.) et litteraturae duas partes, biographiam nimirum et bibliographiam.

MEMBRVM II.

DE

ERUDITIONE DOGMATICA
EIVSQVE PARTIBVS.

§. 77.

Absoluta historia progredior ad eruditionem dogmaticam. Est vero *eruditio dogmatica* pars eruditionis, quae continet veritates vniuersales seu dogmata.

§. 78.

Tota eruditio dogmatica, licet satis ampla sit, ad duas redit partes, *Philosophiam* nimiri in sensu latiori sic dictam, et *Eruditionem positivam*.

CA-

CAPVT I.

DE PHILOSOPHIA IN SENSV LATIORI SVMTA.

§. 79.

Philosophia in sensu latiori sic dicta est pars eruditionis dogmaticae, quae continet veritates naturales.

§. 80.

Haec abit in duas partes, *Mathesin* scilicet et *Philosophiam* stricte sic dictam.

TIT. I.

DE MATHESI.

§. 81.

Inter veritates vniuersales naturales sunt quae concernunt modum inueniendi rerum quantitatem. Inde oritur pars philosophiae in sensu latiori sic dictae, quae continet veritates de modo inueniendi rerum quantitatem *Mathesis* dicta.

§. 82.

Hinc fluit 1) veritates de quantitate huius vel illius rei, ut et 2) de ipsius quantitatis natura et indole ad mathesin referri non posse. Sed potius 3) mathesin sistere regulas metiendi.

§. 83.

Matheseos partes sunt mathesis vniuersalis

28. *Se^t. II. De partibus eruditionis.*

salis et matheſis ſpecialis. *Vniuersalis* matheſis continent tales veritates de modo inveniendi quantitatē rerum, quae omnibus quantitatis ſpeciebus communes ſunt. *Specialis* matheſis vero tales, quae huic vel illi ſpeciei propriae ſunt.

§. 84.

Matheſis ſpecialis itaque vel versatur circa quantitatē virtutis seu moralem, quo nomine venit quantitas rerum immaterialium, vel circa quantitatē molis seu physicam, quae eſt quantitas rerum materialium. Inde oritur eius diuifio in *Matheſin moralem* seu *Dynamicam*, et *Matheſin physicam*, quae ſecundum excellentiam matheſis dicitur.

§. 85.

Matheſis physica, quatenus continent veritates quae quantitatē puram concer-
nunt, dicitur *matheſis pura*. Quatenus ve-
ro tales veritates continent, quae concer-
nunt impuram quantitatē, *matheſis appli-
cata* appellatur. Dicitur autem quantitas
pura vel *abſtracta*, ſi conſideratur per ſe, id
eſt, mente a rebus abſtracta, quum *impura*
vel *concreta* appelletur, ſi conſideratur pro-
ut rebus inexistit.

§. 86.

§. 86.

Pura mathesis versatur vel circa quantitatem discontinuam, eam scilicet quae rebus inest nulla habita extensionis ratione, vel circa quantitatem continuam, id est, eam quae inest extensioni. In priori casu dicitur *Arithmetica in sensu latiori sumta*: in posteriori vero *Geometria*.

§. 87.

Licet vulgo tres partes matheseos purae constitui soleant, hisque recensitis partibus Trigonometria addi, rectius tamen non nisi duae, arithmetia et geometria, admittuntur. Trigonometria enim docet ex tribus cognitis trianguli partibus incognitas inuestigandi.

§. 88.

Arithmetices in sensu latiori sumtae partes sunt Arithmetica stricte sic dicta et Algebra. Veritates mathematicae enim quantitatem discontinuam concernentes, aut versantur circa quantitatem discontinuam determinatam, aut circa quantitatem discontinuam indeterminatam. Piores Arithmeticam stricte sic dictam, posteriores Algebram constituunt.

§. 89.

Matheseos applicatae partes oriuntur ex singulari doctrinarum matheseos purae applica-

plicatione ad certa obiecta. Hincque multo plures concipi possunt matheſeos applicatae partes, quam actu existunt. Quae haec tenus exultaſe ſunt, originem tra- xerunt ex applicatione doctrinarum matheſeos purae ad 1) vim motricem corporum, vnde, quoad corpora ſolda eorumque motum naturalem, *Statica*, artificiosum, *Mechanica*: quoad corpora fluida, praecife elatiſta f. aërem *Aerometria*, non elatiſta, extra fluxum conſtituta, *Hydroſtatica*, in fluxu conſtituta, *Hydraulica*. 2) Lumen et colores, vnde, quoad visionem directam, id est, quam efficit radius directus, in genere *Optica*, in ſpecie apparentem in oculo ad datam diſtantiam et datam altitudinem, et delineationem obiecti in tabula ita factam, vt eam exprimat, *Perspettua*; quoad visionem reſlexam, id est, quam efficit radius reſlexus a ſpeculo, *Catoptrica*: quoad visionem refractam, id est, quae fit per radios refractos, *Dioptrica*. 3) Ignem, festiuum tam quam bellicum, *Pyrotechnia* seu *Artilleria*. 4) Aedificia, ciuilia, vnde *Architectura ciuilis*, mili- taria ſeu munimenta, vnde *Architectura mi- litaris*. 5) Tempus, in genere, vnde *Chronologia*; in ſpecie quoad modum illud me- tiendi per horologia ſolaria, vnde *Gno- nica*.

nica. 6) Corpora mundi totalia, et quidem tellurem, vnde *Geographia mathematica*: extra tellurem posita, vnde *Astronomia*.

V. c. Io. Nic. FROBESII *bistorica et dogmatica in matthesin introduc̄tio*. Helmst. MDCCL.

Dicatur de Mathesi forensi.

TIT. II.

DE PHILOSOPHIA IN SPECIE SIC DICTA.

§. 90.

Philosophiae in sensu latiori sumtae altera pars est *Philosophia in specie sic dicta*, quae est pars philosophiae in sensu latiori, quae continet veritates naturales modum inueniendi rerum quantitatem non concorrentes.

§. 91.

Philosophari dicitur, qui inquirit in rationes possibilium.

§. 92.

Licet de omnibus rebus et in omnibus eruditionis partibus philosophari possint et debeant eruditio, tota eruditio tamen non est philosophia. Inde enim non sequitur omnes veritates esse naturales, quum etiam de positius veritatis philosophari possimus.

§. 93.

§. 93.

Philosophiae partes sunt philosophia *theoretica* et *practica*; quarum illam veritates directionem actionum humanarum non concernentes, hanc, eam concernentes, constituunt.

§. 94.

Theoretica philosophia duabus constat partibus, quae sunt *Metaphysica* et *Physica*. Prior pars continet veritates de ente et mundo in genere, ut et de rebus immaterialibus. Posterior pars vero veritates de rebus materialibus sifit.

§. 95.

Metaphysicae partes sunt *Ontologia*, quae continet veritates de ente in genere; *Cosmologia transcendentalis* quae continet veritates de mundo in genere; *Pneumatologia* quae continet veritates de rebus immaterialibus, sigillatim de anima humana, vnde *Psychologia*, de Deo, vnde *Theologia naturalis*.

§. 96.

Veritates ad physicam pertinentes, vel generatim circa corporum naturalium naturam et indolem versantur, vel speciatim circa hoc vel illud corpora naturalia concernens. Inde oritur in casu primo *Physica*

sica in specie sic dicta, quae in experimentalē et dogmaticam physicam abit, prout veritates vel per experimenta stabiliuntur, vel non. In posteriori casu vero variae partes oriuntur, veluti si veritates concernunt fines rerum naturalium, *Teleologia*; si corporum naturalium dissolutionem et coniunctionem, *Chymia seu Chemia*; si corporis humani sanitatem, quoad eius conseruationem et restitutionem, *Medicina*.

§. 97.

Ex his partibus physices praesertim medicina varias admittit subpartes, quae in praecognitis medicinae specialibus ultrius euoluendae sunt. Vnde hic tantum notandum principales medicinae partes esse *Chirurgiam* et *Medicinam in specie sic dictam*, prout medicina circa sanitatem corporis humani, vel quoad partes eius externas, vel quoad internas versatur. Medicinae in specie sic dictae partes principaliores vero sunt *Hygience* et *Therapeutica*, quarum illa circa sanitatis praesentis conseruationem, haec circa amissae restitutionem versatur.

Dicatur de medicina forensi.

§. 98

Hactenus de philosophia theoretica, sequitur practica. Veritates actionum humana-

C

mana-

manarum directionem concernentes, quas philosophia practica sistit (§. 93.), vel eas concernunt quoad facultatem cognoscitiam, vel quoad facultatem appetitiam. Postiores philosophiam practicam in specie sic dictam constituunt. Piores eas concernunt, vel quoad facultatem cognoscitiam superiorem, quae Logicam constituunt, vel quoad facultatem cognoscitiam inferiorem. Inter has dantur generalissimae veritates, quum aliae magis speciales sint. Priorum complexus constituit Aestheticam; posteriorum vero eas scientias, quae ad litteras elegantiores referri solent, veluti Oratioriam seu Rhetoricam, Artem poeticaem &c.

§. 99.

Philosophia practica in specie sic dicta in uniuersalem et particularem subdividitur, quarum illam generalissimae veritates de directione actionum humanarum quoad facultatem appetitiam, hanc magis speciales veritates huius generis constituunt.

§. 100.

Philosophia practica particularis partim tales veritates continet, quae concernunt directionem actionum humanarum determinando quae praecipientur, quae prohibentur, quae permittantur, seu, quod idem est,

est, quae iura et obligationes concernunt, quae constituunt *iurisprudentiam naturalem*: partim tales, quae modum efficiendi, ut actiones iuribus et obligationibus conformiter dirigantur, concernunt, et quidem in genere, quae *Philosophiam moralem in sensu latiori sumtam* constituunt, cuius partes sunt, quoad homines extra societates viventes, *Philosophia moralis stricte sic dicta* seu *Ethica*; quoad homines in societatibus simplicibus viventes, *Oeconomica*; quoad homines in societate ciuili seu republika viventes, *Politica*. Quodsi vero a reliquis veritatibus ad philosophiam moralem in sensu latiori sumtam pertinenteribus 1) separantur eae, quae in specie modum efficiendi ut quis opibus per acquisitionem instructus fiat et per prudentem administrationem maneat, concernunt, et 2) adiiciuntur eae, quae concernunt modum efficiendi ut res adsint, per quarum acquisitionem et conseruationem efficiendum aliquem opibus instructum fieri et manere, tumque hae veritates vtriusque generis separatim in formam artis rediguntur, inde oritur noua eruditionis pars quae *Oeconomia* dicitur. Est itaque *Oeconomia* pars philosophiae practicae

C a parti-

particularis, quae continent veritates de modo efficiendi ut quis opibus instructus sit. Ad id enim, ut quis opibus instructus sit, requiritur res adesse quae eo faciunt, easque acquiri et conseruari. Oeconomiae partes vero sunt *Oeconomia privata* et *publica* seu *cameralis*, prout veritates, quas oeconomia continet, respiciunt vel hominem in singulari, vel rem publicam.

ANASTASII SINCERI Project der Oeconomie in Form einer Wissenschaft. Frankfurt und Leipzig 1716.

CAPVT II.

DE

ERUDITIONE POSITIVA.

§. 101.

Absoluta prima parte eruditionis dogmaticae, philosophia nimurum, progredior ad secundam eius partem *eruditio-*
nem positivam, quae est pars eruditionis dogmaticae, quae continent veritates positi-
vas.

§. 102.

Partes eius sunt *Philologia*, *Ars heraldica*,
Ars diplomatica, *Theologia revelata* et *Iuris-*
prudentia positiva, de quibus nunc agendum.

TIT.

TIT. I.

DE PHILOLOGIA, ARTE HERALDICA
ET DIPLOMATICA.

§. 103.

Philologiae vocabulum, si in eo sensu sumitur, quo denotat complexum omnium veritatum quae versantur circa linguam et sermonem, siue sint singulares, siue universales, haeque vel naturales, vel positivae, ambitu suo varias complectitur disciplinas quae ad eruditionem positivam referri nequeunt, veluti Rhetoricam et Poëticam, quae ad philosophiam (§. 98.), et historiam tam quam notitiam linguarum, quae ad historiam (§. 66.) pertinent. Quae cum ita sint, me hunc philologiae conceptum admittere non posse, ex antecedentibus per se patet.

§. 104.

Est itaque *Philologiae* conceptus potius ita formandus, quod sit pars eruditionis positivae, quae continet veritates linguas et orationem concernentes.

§. 105.

Veritates linguas et orationem concernentes, quae universales sunt et positivae, quaeque in formam artis redactae iam ex-

C 3

stant,

stant, siveque ad philologiam referri possint, non dantur, praeter veritates quae linguam quandam a certo populo, pro exprimendis ipsius cogitationibus, inuentam, pro objecto habent, vel ita, ut determinent legitimum eius usum, si in ea lingua cogitationes nostras exprimere volumus, unde *Grammatica*; vel ita, ut determinent media quibus videntur, si sensus sermonis litteralis inuestigandus, tam si de falsa lectione suscipio adest, quam non, unde *Ars critica*.

Christ. Frid. AYRMANN Idea philologiae et studii philologici adumbrata. Lips.

§. 106.

Praeter philologiae conceptum, et artis heraldicae tam quam diplomaticae conceptus hic formandus. Licet vero nonnulli, quod attinet artem heraldicam, conceptum eius ita extendant ut ad eam omnes veritates insignia concernentes et quod attinet artem diplomaticam ita, ut ad eam omnes veritates diplomaticae concernentes, referre soleant, hi conceptus tamen prout iterum ex antecedentibus patet, hic admitti nequeunt. Est itaque porius mihi *Ars heraldica* pars eruditionis positiva, quae continet veritates de modo insignia construendi et resoluendi. *Ars diploma-*

plomatica vero pars eruditionis positivae,
quae continet veritates de modo diplomata
vera a falsis distinguendi.

Mart. SCHMEITZEL. Diss. de natura et in-
dole artis heraldicae. Jen. 1721. rec. Ha-
lae 1740.

TIT. II.
DE THEOLOGIA REVELATA.

§. 107.

Theologia revelata est pars eruditionis po-
tivae, quae continet veritates de iis
quae ex voluntate Dei hominibus reuelata
ad salutem scitu factuque necessaria sunt.

§. 108.

Theologiae reuelatae tot sunt partes,
quot sunt diuersae religiones, si quidem
veritates de iis, quae ad salutem scitu fa-
ctuque necessaria sunt, secundum mentem
eorum, qui huic vel illi religioni addicti
sunt, in formam artis redactae exstant. In-
de oriuntur *Theologia iudaica, christiana &c.*

§. 109.

Quaelibet harum partium abit in eam
partem, quae continet veritates quae circa
ea quae ad salutem scitu, et quae circa ea
quae ad salutem factu necessaria sunt ver-
satur, vel, quod idem est, quae circa

C 4

cre-

credenda, et quae circa agenda versatur. Posterior pars *Theologia moralis* dicitur. Prior pars vero continet partim tales veritates de iis quae ad salutem scitu necessaria sunt, quae determinant thesin ipsam, vnde *Theologia dogmatica* seu *thetica*; partim tales, quae determinant quomodo errores oppositi refutandi sint, vnde *Theologia polemica*.

Dicatur de theologia *exegetica*, *homiletica*, *propheetica*, *typica*, *mystica*, *paracletica*, *pastoralis*, *irenica*, *comparatiua*, *symbolica*, *patristica*, *casuistica*, *foederali* &c. Ut et de diuisione theologiae in *archetypam* et *ectypeam*, huiusque subdivisione in thelogiam viatorum et comprehensorum.

V. S. R. Io. Ern. SCHUBERTI *introductio in theologiam reuelatam.* Ien. et Lips. 1755.

TIT. III.

DE IVRISPRVDENTIA POSITIVA.

§. 110.

Agmen partium eruditionis claudit iurisprudentia positiva. Est vero *iurisprudentia positiva* pars eruditionis positivae, quae continet veritates de iuribus et obligationibus, quae vel ex legislatoris voluntate in republica quadam, vel ex gentium voluntate inter eas obtinent.

Dica-

Dicatur de iuribus et obligationibus, quae ex voluntate priuatorum inter eos obtinent.

§. 111.

Iurisprudentia positiva ex triplici fundamento triplici modo in partes diuidi potest et solet, nimirum, vel pro diuersitate fontium veritatum quas iurisprudentia positiva continet, vel pro diuersitate obiecti harum veritatum, vel pro diuersitate loci vbi obtinent.

§. 112.

Si pro fontium veritatum, quas iurisprudentia positiva continet, diuersitate partes iurisprudentiae positivae constituuntur, abit in eam partem quae continet veritates de iuribus et obligationibus quae ex legislatoris voluntate in republica quadam obtinent, et in eam, quae continet veritates quae ex gentium voluntate inter eas locum habent. Prior pars pro legislatorum diuersitate in diuinam et humanam, haecque in Romanam, Germanicam, Canonicam &c. subdiuiditur.

§. 113.

Si partes iurisprudentiae positivae constituuntur pro diuersitate obiecti circa quod versantur veritates de iuribus et obligationi-

C 5

bus,

bus, illud sunt vel modus expediendi negotia iuridica, vel non. Hinc oritur in posteriori casu *iuris prudentia positiva theoretica*, in priori vero *practica*. Vtraque pars iterum varias admittit sub partes, quarum evolutio ad praecognita iurisprudentiae positivae specialia remittenda.

§. 114.

Si tandem partes iurisprudentiae positivae constituuntur pro diuersitate loci ubi valent iura et obligationes, quas concernunt veritates quae in iurisprudentia positiva traduntur, inde oritur iurisprudentiae positivae diuisio in *iurisprudentiam positivam Germanorum, Gallorum, Danorum &c.* prout ponis veritates de iuribus et obligationibus quae vel in Germania, vel in Gallia, vel in Dania &c. valent. Non sequitur enim iura et obligationes quae in Germania, Gallia, Dania &c. valent, ex legum germanicarum, gallicarum, danicarum &c. dispositione valere, sicut differunt inter se e. g. iurisprudentia germanica et iurisprudentia germanorum, nec haec diuisio coincidit cum diuisione supra §. 112. tradita. Quae de subdiuisione partium iurisprudentiae, quae ex hoc diuidendi fundamento oriun-

oriuntur, dicenda, iterum remitto ad praecognita iurisprudentiae positivae specialia.

SECTIO III.

DE

METHODO DOCENDI ET DISCENDI ERUDITIONEM.

§. 115.

Postquam de eruditionis natura et indole eiusque partibus actum, nunc sequitur tertium summum caput praecognitorum eruditionis generalium (§. 6. 4.), de methodo docendi et discendi eruditionem. Sunt hic 1) de methodo in genere quaedam praemittenda, tumque 2) de docendi et 3) de discendi methodo agendum.

MEMBRVM I.

DE

METHODO IN GENERE.

§. 116.

Methodus in genere est determinatus modus aliquid peragendi. In specie vero *methodus erudita* dicitur determinatus veritates, quas eruditio continet, tractandi modus.

§. 117.

§. 117.

Hinc fluit 1) non ordinem solum quo in tradendis veritatibus utimur, sed et modum veritatis illustrandi et probandi pertinere ad methodum eruditam. 2) Methodum eruditam veritates ipsas non adscire, sed potius ab ea non nisi formalia dependere, ut sic veritates ipsae sint eadem, siue hac siue alia methodo pertractentur.

§. 118.

Perspicuitas est perfectio intellectus, qua distinctas notiones habemus. *Profunditas* est perfectio intellectus, qua notiones distinctas in alias simpliciores continuo resoluere nouimus. *Soliditas* est perfectio intellectus, qua asserta nostra connectere et firmis demonstrationibus corroborare nouimus.

§. 119.

Methodus diuiditur I) ab effectu in *solidam* quae ad perspicuitatem, profunditatem et soliditatem dicit, et *superficiariam* quae nec ad perspicuitatem, nec ad profunditatem, nec ad soliditatem dicit.

§. 120.

Hinc sequitur commune dicterium, methodum esse arbitrariam, verum quidem esse non nisi ipsarum veritatum respectu habito, in omni alio respectu vero falsissimum esse. (§. 117.).

§. 121.

§. 121.

Dividitur methodus II) pro ipsorum formalium diuersitate in *causalē* seu *ramificā*, *dichotomīcā*, *eromaticā* aliasque species, inter quas eminet *methodus mathematica*, quae etiam appellatur *demonstratiua*, *scientifica*, *naturalis*, die strenge Lehrart, de qua ex instituto agendum.

Dicatur de methodo auditoribus commoda.

§. 122.

Demonstratio est probatio quae conuictiōnem operatur, estque vel *historica*, si per indubitata testimonia, vel *philosophica*, quae simpliciter demonstratio appellari solet, si per ratiocinia concatenata probatio fit.

§. 123.

Ergo 1) qui *philosophatur* non semper *demonstrat*, licet qui *demonstrat* per *philosophicam demonstrationem* semper *philosophetur* (§. 91). 2) *Deficiente ratione necessaria deficit demonstratio philosophica*, quae, si talis adest, locum habet. (§. 13.).

§. 124.

Methodus mathematica dicitur ea, secundum quam non admittuntur termini technici nisi accurate definiti, propositiones rite determinandae et demonstrandae, et ea

ea praemittenda sunt vnde cetera intelliguntur et demonstrantur.

§. 125.

Sola methodus mathematica dicit ad perspicuitatem, profunditatem et soliditatem. Perspicuitas et profunditas enim non nisi ex accuratis definitionibus, propositionibus rite determinatis et ordine tali, secundum quem praemittuntur vnde cetera intelliguntur, soliditas vero non nisi ex demonstrationibus, oriuntur.

§. 126.

Hinc sequitur 1) methodum mathematicam ducere ad cognitionem philosophicam (§ 28.). 2) Eruditum qui methodo mathematica utitur esse eruditum rationalem (§. 44.) nec posse cum sedatorem esse (§. 49.). 3) Solam methodum mathematicam esse solidam methodum (§. 119.) sicque inter omnes methodos quae fuerunt, sunt et erunt optimam, nec probabile esse eam unquam in desuetudinem abire.

Dicatur de methodo synthetica.

§. 127.

Nulla est disciplina quae respuit methodum mathematicam, sed potius applicatio eius in omnibus disciplinis est possibilis, nec ipsa historia excepta. Regulae huius methodi enim,
Quas

quas sif sit definitio (§. 124.), in omnibus disciplinis locum habent.

§. 128.

Applicatio methodi mathematicae differt quidem pro disciplinarum diuersitate, ast non nisi quoad modum demonstrandi, ita vt in historia non nisi demonstrationes historicae adhiberi possint. In disciplinis ad eruditionem dogmaticam pertinentibus vero, si ad philosophiam in sensu latiori sic dictam spectant, semper philosophicae demonstrationes adhibendae sint, quum in iis quae ad eruditionem positivam pertinent, mox philosophicae, mox historicae demonstrationes adhibendae, prout veritates demonstrandae vel rationes necessarias, vel arbitrarias habent. Singulares veritates enim non nisi per testimonia indubitata probari possunt, et deficiente ratione necessaria deficit demonstratio philosophica, quae, si talis adest, locum habet. (§. 123.).

MEMBRVM II.

D E

METHODO DOCENDI ERVDTIONEM.

§. 129.

Qui alterum ad veritatum incognitarum cognitionem perducere intendit, is alterum docere dicitur.

§. 130.

§. 130.

Docentis est non nisi veritates pragmaticas, et inter eas praesertim foecundas, proponere et ita docere ut ii; quos docet, intelligent quae docet, et ad perspicuitatem, profunditatem et soliditatem perducantur. Per §. 16. et finem quem docens intendere debet.

§. 131.

Hinc fluit docentem 1) dono perspicuitatis instructum esse, 2) veritates quas proponit demonstrare, et in genere methodo mathematica vti debere (§. 125.).

§. 132.

Docens de nouis veritatibus inuenientiis debet esse sollicitus, ut et curam habere, ut noua aliorum eruditorum inuenta sibi innoscant, eaque examinare et proponere debet. Haec enim faciunt ad scientiarum augmentum.

§. 133.

Docentes inidonei non sunt qui docendo discunt, modo requisitis docentis sint instruti. Tum enim perinde est, siue heri, siue nudius tertius, siue ante multos iam annos cognitionem veritatum quas proponit sibi acquisuerit docens.

§. 134.

Docens tam per scripta quam viua voce docere potest. Quum vero alia obseruanda

da sint si per scripta, alia si viua voce docer, de vtroque docendi modo sigillatim agendum.

TIT. I.

DE METHODO DOCENDI PER
SCRIPTA.

§. 135.

Methodus docendi per scripta differt pro diuersitate scriptorum, vnde de speciebus scriptorum quaedam praemittenda sunt, antequam ipsa docendi methodus explicatur.

§. 136.

Scripta differunt I) pro diuersitate finis scriptoris Ex hoc fundamento variae oriuntur species in sequentibus recensendae.

§. 137.

Differunt scripta II) pro diuersitate partium eruditionis, ad quas veritates, quas continent, pertinent. Ex quo fundamento oriuntur tot eorum species, quot sunt eruditionis partes, et alia *iuridica*, alia *historica* &c. appellantur,

§. 138.

Sunt porro III) scripta pro methodi diversitate vel *scientifica*, vel *vulgaria*; prout vel methodo mathematica conscripta sunt, vel non.

D

§. 139.



30 Sed. III. De methodo docendi

§. 139.

His de scriptorum speciebus praemissis docentis per scripta officia explicanda sunt, pro diuersitate scriptorum §. 136 explicata. Quae tractatio non solum instruit scribentem de eo quod in scripto huius vel illius generis obseruare debet, sed et eo fini inferuit, ut quilibet iudicare possit, an et quatenus scribens officio suo satisfecerit.

§. 140.

Fontes seu collectiones fontium sunt scripta, quae continent fontes veritatum singularium, vel vniuersalium posituarum (§. 24).

§. 141.

Scripta quae fontium seu collectionis fontium nomine veniunt, fontes in lingua originaria, secundum authenticum exemplar accurate typis descriptos, et variantibus lectionibus annotatis exhibere debent. Vi definitionis et finis scriptorum huius generis.

§. 142.

Commentarius est scriptum, in quo alias scripti sensus determinatur, idque illustratur.

§. 143.

Commentarius ita conscribendus, ut 1) scriptum commentario illustrandum ei inseratur; 2) ad singula scripti commentario illustrandi loca, quae indigent illustratione, dirigatur; 3) eius quod obscurum et ambiguum verus sensus de-



terminetur; 4) sedulo caueatur ne alia admisceantur, quam quae ad illustrationem scripti commentario illustrandi faciunt. Vi definitionis et finis commentarii.

§. 144.

Lexica sunt scripta in quibus secundum ordinem alphabeticum termini aut explicantur tantum, aut simul ea, quae de re termino indigitata notanda sunt, recensentur. In priori casu dicuntur *verbalia*, in posteriori vero *realia*, quae vel *historica*, vel *dogmatica* sunt, prout ea quae de re termino indigitata recensentur, vel ad historiam, vel ad eruditionem dogmaticam spestant.

§. 145.

Lexicorum verbalium requisita, si technicos terminos continent, sunt quod genuinas notiones terminorum, per accuratas definitiones explicandas, exhibere, et ipsa scriptorum loca, ex quibus notiones genuinas esse probari potest, addi debeant. Lexicorum verbalium, quae tantum vulgares terminos exhibent, requisita vero sunt quod genuinum eorum significatum, per vocabula alterius linguae expressum, continere, et ipsa scriptorum loca, ex quibus significatum genuinum esse probari potest, addi debeant. Vi definitionis et finis scriptorum huius generis.

D 2

§. 146.



§. 146.

Lexicorum realium tam historicorum quam dogmatisorum requisita sunt, sed hlo praecauendum esse, ne 1) errores contineant; 2) inutilia admisceantur, cum potius eo desiderandum ut veritatis pragmaticis et foecundis sint repleta; et quidem praesertim 3) iis quae memoria nostra facile exidunt. Vi definitionis et finis scriptorum huius generis.

§. 147.

Syntagma seu, vt alii loquuntur, *systema* est scriptum, in quo tota quaedam disciplina, tam quoad generales quam speciales veritates, pertractatur.

§. 148.

Quae quoad syntagmata obseruanda sunt redeunt ad sequentia summa capita: 1) Quodlibet syntagma continere debet praecognita specialia disciplinae in eo pertractandae et tractationem ipsam. 2) Praecognita continere debent ea capita, ad quae iuxta superiora redeunt omnia quae in praecognitis specialibus euoluenda sunt. 3) Tractatio ipsa, quoad a) veritates ipsas, omnes pragmaticas ad disciplinam explicandam pertinentes sistere debet; b) ordinem, secundum naturalem, qui est chronologicus in disciplinis ad historiam in specie sic dictam pertinentibus, secundum mixtum vero in reliquis disciplinis singularae doctrinae se inuicem subsequi debent, hinc que

que in priori casu in epochas, in posteriori vero in tomos, membra, sectiones, capita &c. tractatio dividenda. 4) Termi technici accurate definiendi sunt et propositiones determinandae et demonstranda sunt, quem in finem in disciplinis quas historia in specie sic dicta ambitu suo continet, ipsa verba scriptorum demonstrationem historicam continentia, in reliquis autem principia, aut itidem verba per quae propositio demonstratur, alleganda sunt. 5) Ubique ad scripta aliorum de hoc vel illo argumento speciali remittendus est lector. Vi definitionis et regularum docendi generalium.

§. 149.

Compendium est scriptum quod sistit totam disciplinam quoad primas eius veritates.

§. 150.

Quae de syntagmatibus dicta sunt, valent etiam de compendiis, nisi quod compendia in veritatibus primis, id est, definitionibus, divisionibus, generalibus propositionibus subsistant. Itidem vi definitionis et regularum docendi generalium.

§. 151.

Scriptum quod non quidem totam quandam disciplinam, ast tamen totam quandam doctrinam disciplinae cuiusdam sistit, dicitur Tractatus. Scriptum vero quod partem quandam

D 3 dam

dam doctrinae, sive singulare quoddam thema tractat, ast tamen unicum, dicitur, si in eum finem prodit, ut usui actus disputatorii inseriat. *Disputatio*; si in eum finem, ut aliquid publice annuntietur *Programma*; si in neutrum horum *Diatrype*, *Schediasma*, *Commentatio* &c. Quum econtra scriptum quod plura singularia themata simul tractat mox hoc, mox alio nomine insigniri soleat, eoque pertineant *Scripta in ana*, *Quæstiones*, *Observationes*, *Horae subsecuiae*, *Beyträge*, *Nebenstunden*, *kleine Schriften* &c. Possunt vero omnia haec scripta generali nomine *scripta de singulis argumentis* appellari.

§. 152.

Quoad scripta in §. praeced. recensita sequentia notanda sunt. 1) Plura de arguento, quod tractant, continere debent, quam de eo in syntagmatibus et compendiis obvia sunt. 2) Quæ ad argumentum illud, quod tractatur, non pertinent, non sunt immiscenda. 3) Prima principia ex syntagmatibus et compendiis sunt praesupponenda. 4) Quæ §. 148. n. 3. b et n. 4. 5. dicta et hic obseruanda sunt. Vi definitionum.

§. 153.

Dantur scripta quæ alia scripta, quæ separatim prodierunt, in collectionem redacta sistunt. Haec dicuntur, si scripta quæ continent sunt scripta unius auctoris

ris *Opera* vel *Opuscula*; si vero scripta, quae continent, sunt scripta vnius argumenti, ast variorum auctorum, *Corpora*.

§. 154.

Quoad corpora et opera non nisi hoc notandum,
quod omnia scripta quae ad collectionem pertinent
continere debeant, et praesertim in scriptis huius
generis indicem esse necessarium. Vi definitio-
nun et finis scriptorum huius generis.

§. 155.

Scripta casuistica appello ea, quae casum aliquem in singulari, siue plures simul concernunt.

§. 156.

Sunt itaque deductiones, consilia et responsa
theologorum, Iurorum, medicorum scripta casui-
stica. Quid vero circa ea obseruandum sit dif-
fert pro specierum diuersitate, ita ut generalia
de eo tradi nequeant, specialia vero ad praeco-
gnita specialia earum disciplinarum, ad quas
scripta huius generis pertinent, remittenda sunt.

§. 157.

Scriptum quod sifit indicem scriptorum,
si scripta quorum indicem sifit sunt scrip-
ta vnius possessoris, Catalogus, si certae
cuiusdam disciplinae, Bibliotheca appellari
solet.

§. 158.

Catalogi virtutes sunt singula scripta secundum

D 4

ordi-

ordinem conuenientem digesta esse, siveque separata esse scripta quae ad diuersas spectant disciplinas, eaque iterum secundum eam scriptorum diversitatem, quae §. 140. sqq. explicata, esse in classes redacta. Porro locum et annum impressionis accurate esse expressum. Tandem notas esse adiectas, quae ea, quae de hoc vel illo scripto notatu digna sunt, continent, et indice nominali eum esse instructum. Idem etiam valet de sic editis bibliothecis, si quidem non per modum lexicci, quod saepe fieri solet, conscribuntur. Tum enim omnia redeunt ad lexicorum realium requieta §. 145. explicata. Licet ex definitionibus hoc non fluat, haec scripta tamen, si dicto modo sunt elaborata, maiorem praestant utilitatem, ac praestant in casu opposito.

§. 159.

Ephemerides sunt scripta, quae facta recentissima recensent; suntque vel *literariae*, vel *politicae*, prout facta quae recensent, vel ad historiam litterariam pertinent, vel non.

§. 160.

Ephemerides tam *politicas* quam *litterarias* conscripturus separare debet facta certa ab incertis, et notatu digna a vulgaribus. In specie vero *ephemerides litterarias* conscripturus in recensendis scriptis editis sequentia obseruare debet.

I) Si auctor, cuius scriptum recensetur, est incon-

cognitus, quis sit indicandum est. 2) Externā scripti quod recensetur sunt annotanda, veluti locus, tempus impressionis &c. 3) Scripti finis et historia non debent negligi. 4) Contenta scripti in summanū sunt contrahenda, ita ut sciagraphia totius scripti exhibeat[ur]; aut, si pro scripti indole hoc fieri nequit, loca quaedam excerpenda sunt. 5) Quoad iudicium de scriptis recensitis consultius est illud non addi. Vi finis scriptorum huius generis, et quoniam, si scripta dicto modo recensita sunt, lector ipse iudicare potest, iudicio scriptorum ephemeridum vero confidere nemo possit.

Ill. MANTZELIUS de eo quod iustum est circa ephemerides litterarias concinnandas.
Rost. 1722.

Polyc. LYSERT *Animaduersiones criticae in ephemeridum litterariarum imprimis bo[d]iernarum methodum.* Witt. 1716.

TIT. II.

DE METHODO DOCENDI VIVA VOCE.

§. 161.

Officia docentium viua voce, quoad docendi methodum partim generalia sunt, in quibusunque praelectionibus, partim specialia, non nisi in his vel illis

D 5 prae-

praelectionibus obseruanda. Dicam primo de generalibus.

§. 162.

Docens viua voce ad dictum compendii docere debet, in quo eligendo unice requisitorum compendii (§. 150.) ratio habenda. Prout posterius per se, ita prius inde pater quod viua vox pereat.

§. 163.

Docens viua voce instructus esse debet dono docendi, hoc est, facultate prompte, expedite et cum aliqua suavitate sensa animi exprimendi. Id quod per se patet.

§. 164.

Docentis praelectiones completae esse debent, id est, omnia ea continere, quae requiruntur, ut auditores propria industria in disciplina in praelectionibus explicata ulteriores facere possint progressus. Vi finis quem docens viua voce intendit.

§. 165.

Male docet qui 1) dictando in calatum auditores defatigat; 2) intra terminum praelectionibus praestitutum eas ad finem non perducit, aut ad finem quidem perducit, sed horas multiplicando; 3) terminis technicis nondum explicatis utitur. Dictando enim tempus consumitur sine necessitate, cum quea dictantur typis exscribi possint. Reliqua membra

pro-

propositionis vero nulla indigent proba-
tione.

§. 166.

Specialia quae nunc sequuntur docen-
tium viua voce officia, differunt pro di-
versitate collegiorum, quae vel *theoretica*
sunt, quo nomine mihi veniunt si solus
docens agit, vel *practica*, si discentes simul
agunt, aut respondendo ad quaestiones a
docente propositas, quae dicuntur *exami-*
natoria; aut defendendo vel oppugnando
veritates, quae dicuntur *disputatoria*; aut
aliud quid agendo, quae dicuntur *practica*
in specie sic dicta.

§. 167.

Specialia viua voce docentium officia quoad
collegia theoretica sunt, quod debeat 1) si com-
pendium defectibus laborat illud emendare, quae
desunt addendo, quae minus recte posita mutan-
do; 2) definitiones a) resoluere in genus et diffe-
rentiam specificam, b) singulas quae hanc ingre-
diuntur notas sigillatim indicare, c) totam defi-
nitionem illustrare, dum ad exempla eam appli-
cant, si que forsan in compendio res quaedam iam
definita, quae cum iam definienda similitudinem
habet, conuenientiam tam quam disconuenienti-
am indicant; 3) divisiones ex suis fundamentis
rite deducere, dum indicant quae in notione gene-
ris indeterminata relata sunt, et quomodo ulterius

rius ea determinando species oriantur; 4) propositiones rite resoluere, resolutas exemplis illustrare, et tum demum demonstrationum vim distincke explicare, pro demonstrationum diuersitate; 5) scholia, si indigent illustratione, eam addere, si non, silentio praetermittere; 6) dubia magni momenti resoluere. Haec omnia fluunt ex regulis docendi generalibus et horum collegiorum fine.

Ergo speciatim in collegiis theoreticis male docet, qui 1) compendium non illustrat, sed aut ex una lingua in alteram vertit, aut tantum supplet; 2) tempus consumit recensione variarum opinioneum; 3) in resolutione argumentorum dissentientium nimius est. Neutquam vero malet docet in his collegiis, qui, si compendium nullis laborat naevis, non nisi ea, quae in illo obvia sunt, dicto §. praec. modo illustrat. Vnde facile patet quatenus veritati consentaneum sit, quando vulgo dici solet, cum officia docentis non obseruare, der nichts weiter saget als was in dem Lehrbuche steht.

§. 169.

Docentis specialia officia in collegiis practicis examinatoriis obseruanda, sunt, quod debeat quoad singulas doctrinas in examinatorio collegio pertractandas, sequentes formare quaestiones: 1) Quid? ita, ut audita responsione, quae tum de-

mum

sum adaequata si accuratam continet definitio-
nem, ulterius nouas formare debeat quaestiones
ad analysin tam, quam resolutionem definitionum
directas, quibus absolutis nonnunquam de cogni-
tis rei definitae ulteriores quaestiones sunt for-
mandae; 2) Quotuplex? ita, ut facta respon-
sione quae singulas diuisiones continere debet, quaes-
tio quid? quoad singula diuisionis membra dicto
modo repetatur; 3) Quale? quae quaestio pro
disciplinarum diuersitate, mox hoc, mox alio mo-
do pertractanda, de qua itaque in specialibus
cuiuslibet eruditionis partis praecognitis specia-
lius agendum. Tum enim maximam praestant
utilitatem, quum e contra, si haec non obser-
vantur, aut plane nullam, aut saltem exigua-
m utilitatem habeant collegia examina-
atoria.

§. 170.

*Specialia docentis officia in collegiis practicis
disputatoriis sunt 1) quod docens non solum re-
spondente deficiente resoluere debeat opponentis
dubia, sed et 2), si vel respondens vel opponens
a regulis disputandi, quas logica prescribit,
aberrant, meliora eos docere debeat; quodque 3)
ipsum potius compendium, quo docens in collegiis
theoreticis uitetur, in collegiis disputatoriis ad
disputandum proponi debeat, quam theses aut a
docente, aut a respondentе exhibitae. Id quod
ex fine horum collegiorum, quoad n. 1. et*

2, et

2, et quoad n. 3. ex maiori, quam sic praefstant, vtilitate demonstrandum.

§. 171.

Specialia docentium officia quoad collegia practica in specie sic dicta, maxime differunt pro diuersitate disciplinarum, prout etiam non nisi quoad eas disciplinas, quae ad eruditionem practicam pertinent, locum habent; unde de methodo docendi in his collegiis in praecognitis specialibus singularium disciplinarum agendum.

Dicatur de collegiis casualibus, analyticis, ut et theoretico-practicis.

MEMBRVM III.

DE METHODO DISCENDI ERUDITIONEM.

§. 172.

Discere eruditionem dicitur, qui operam dat ut veritatum haud vulgarium in formam artis redactarum cognitionem acquirat.

§. 173.

Licet discendi methodus differat pro diuersitate partium eruditionis, quae vero huic vel illi eruditionis parti propriae sunt discendi regulae, hoc loco explicari nequeant, sed ad praecognita specialia cuiuslibet disciplinae remittendae sint, non desunt tamen

tamen generales regulae, quae quoad omnes disciplinas locum habent, hic tradendae.

§. 174.

Intellectus systematicus dicitur, qui propositiones generales inter se connectit, quod fit si aliae per alias, tanquam per principia, demonstrantur. Qui vero eas inter se non connectit, sed singulas quasi cum ceteris nihil commune habentes intuetur, dicitur *intellectus non systematicus*. Quum autem in historia desint propositiones generales, in eruditione positiva vero non semper propositiones generales per alias tanquam per principia demonstrari possint; facile patet *quoad historiam intellectum systematicum plane concipi non posse, quoad eruditionem positivam vero non nisi simulcrum intellectus systematici, seu intellectum quasi systematicum locum habere.*

L. B. de WOLF *de differentia intellectus systematici et non systematici.* Hor. subl. A. 1729. Trim. Brum. n. 3.

§. 175.

REG. I. Discensis prima et praecipua cura esse debet ut sibi acquirat intellectum systematicum, quem in finem 1) compendium, quod in disciplina addiscenda optimum est, eligere idque profundamento ponere debet. 2) Huius compendii explicationem a viua voce docente audire debet.

Quo

Quo facto 3) ulteriores in studiis suis facere debet progressus praesertim a) legendis scriptis aliorum; b) meditando. Quum vero primum et secundum in academiis, tertium autem finitis academicis studiis discendi peragendum incumbat, de iis in sequentibus pluribus agendum,

§. 176.

REG. II. Discens veritatum pragmaticarum rationem habere debet, non pragmatiscas vero negligere. Inter pragmatiscas autem praesertim foecundarum, et interfoecundas, praesertim notionum directricium, rationem habere debet. (§. 16.).

§. 177.

REG. III. Quamvis usus collectaneorum non prorsus contemnendus sit, variae tamen cautelae sunt obseruandae a discente, ne hoc instituto, per se utile omnino, abutatur. Sunt enim collectanea subsidium memoriae,

§. 178.

REG. IV. Discens sollicitus esse debet ut bibliotheca fiat instructus, quae prudenter comparanda, et bene ordinanda. Id quod per se patet.

Io. Dau. KOELERI *Sylloge aliquot scriptorum de bene ordinanda bibliotheca*. Franc. 1728.

§. 179.

Quae de methodo discendi in antecedentibus dicta a quolibet discente et ubique sunt obseruanda, reliqua ad discendi methodum spectantia differunt, prout discens vel

vel in academiis viuit, vel studiis academicis absolutis studia sua continuat. Vnde nunc de discendi methodo pro hac diuersitate agendum.

TIT. I.

DE METHODO DISCENDI IN
ACADEMIIS.

§. 180.

Quae, qui in academiis sub ijsit discendi eruditio-
nem causa qua talis generatim obseruare
debet, sunt, eum studia sua academic a ita dirigere,
vt 1) iis disciplinis operam det quarum cognitio
ei usum praestare potest; 2) veritatum ad eas
pertinentium distinctam, solidam et profundam co-
gnitionem talem et tantam a viua voce docente ac-
quirat, quali et quanta instructus esse debet, vt sibi
relictus ulteriores in studiis facere possit progressus.
Vi finis studiorum academicorum.

§. 181.

Quae discens in academiis qua talis speciatim
obseruare debet redeunt ad sequentia summa ca-
pita: 1) studiorum subsidiariorum cum studio
principali coniunctionem legitimam; 2) pruden-
tem electionem eius ex docentium numero, quo
tanquam praceptor vti vult; 3) ordinem in
addiscendis variis disciplinis obseruandum; 4)
ea quae quoad collegia ipsa, quae frequentat, ob-
seruanda, quae redeunt ad a) collegiorum nu-
merum; b) præparationem ad collegia; c) ea

E

quae

quae in audiendis präelectionibus obseruandas; d) repetitionem collegiorum. De his singulis fígillatim agendum.

§. 182.

Studia subsidiaria dicuntur disciplinae, quás discimus ideo, vt in alia disciplina felices progressus facere possimus, suntque vel *generalia*, vel *specialia*: prout vel respectu omnium disciplinarum, quae studia subsidiaria presupponunt, talia sunt, vel tantum respectu huius vel illius disciplinae.

§. 183.

Vna disciplina in alteram influere dicitur, si ei suppeditat principia ad veritates ad eam pertinentes explicandas, stabiliendas vel supplendas, aut methodi in ea applicandae ideam exemplarem continet. In priori casu influxus dicitur *materialis*: in posteriori vero *formalis*.

§. 184.

Quaelibet disciplina quae influit in aliam, pertinet ad *studia subsidiaria eius* in quam influit. *Quae vero non influit in aliam, nec ad eius studia subsidiaria referri potest.* (§. 183. 182.)

§. 185.

Logica, Ontologia, Historia litteraria et Mathe-sis quatenus per eam intellectus cultura promoueri potest, sunt *studia subsidiaria generalia*. Vi definitionum harum disciplinarum et studii subsidiarii generalis. §. 186.

§. 186.

Qui matheſin tanquam studium Subſidiarium dicit 1) talem in matheſi doctorem eligere debet, qui eam ita trahat, ut inſtruat in reliquas disciplinas, quod facit is qui in docendo potissimum methodi, qua mathematici utuntur, rationem habet, illiusque artificia ostendit; 2) magis de methodo, quam de ipsis reitatibus mathematicis, debet esse ſollicitus. Tum enim per matheſeos studium cultura intellectus promouetur.

§. 187.

Qui philoſphiā tamquam studium Subſidiarium dicit, de tali philoſophia addiſcenda debet esse ſollicitus, quae inſtituit in reliquas disciplinas, qualis est philoſophia Wolffiana. (§. 184.)

L.B. de W O L F de influxu philoſophiae autoris in facultates ſuperiores. Hor. ſubſ. A.

1731. Trim. Brum. n. 1.

§. 188.

Subſidiariis ſtudiis abſolutis, illa non ſunt plane negligenſa, ſed potius cum ſtudiis, in quorum gratiam illarum cognitio acquiſita, ſunt coniungenda. Quae coniunctio diſfert pro diuerſitate tam ſtudii principialis, quam ſtudiorum Subſidiariorum. Id quod per ſe patet.

§. 189.

In elecione eius ex docentium numero, quo tanquam praeceptore vtendum, aliorum iudicio

E 2

non

non simpliciter inhaerere debet discens, sed potius ipse, antequam eligit, singulos audire debet, et quantum potest, secundum ea quae de officiis docentium viua voce dicta sunt, examinare, quis inter eos docentis officia optime impletat, quisque sibi placeat. Saepe enim aliorum iudicium fallit ex variis rationibus, nec quilibet docens omnibus placere potest.

§. 190.

Bene sibi consulunt qui, quatenus fieri potest, non nisi unico praceptor in academiis utuntur. Sunt enim omnes disciplinae in quodam nexo, plerumque vero diuersi docentes diuersa fouent principia.

§. 191.

Errant qui applausus, aetatis, aut eius quod ad statum externum docentis pertinet, in eligendo docente rationem habent. Inde enim non dependet an docens idoneus docens sit, vel non.

§. 192.

Ordo in addiscendis variis disciplinis in academiis obseruandus generatim hic est, studia subsidiaria praemittenda esse studio principali, et disciplinas singulas ita se inuicem subsequi debere, prout cognitio unius a cognitione alterius dependet. Ast pro praesenti rerum statu hic ordo non simpliciter locum habet. (§. 180.)

§. 193.

§. 193.

Quot horae collegiis destinanda sunt ab eo qui in academiis subsistit studiorum gratia, in genere determinari nequit, sed potius in quolibet casu dato pro diuersitate capacitatis subiecti, collegiorum indolis, aliarumque circumstantiarum determinandum est. Id quod per se patet.

§. 194.

Praeparatio ad collegia absolvitur lectione eius compendii academicii pensi, quod a docente nunc explicandum, in qua lectione attendendum ad ea quae nondum intelligit discens. Vi finis praeparationis.

§. 195.

*In audiendis preelectionibus discens attentio-
nem suam dirigere debet in docentis verba, et
non nisi ea quae docens notatu digna profert,
quorum memoria vero facile ad repetitionem us-
que conseruari nequit, annotare debet. Qui
enim omnia annotat eum inutilia annotare
necessa est, perditque tum viua vox suam
vim.*

§. 196.

*Collegiorum repetitio tum rite fit, si discens
1) quae a docente dicta sunt in memoriam sibi re-
vocat, tumque annotat ea quorum memoriam
conseruare nequit, quum tamen conseruanda sit;
2) notionum et demonstrationum analysin insi-
tuit et in ea ad prima principia recurrit; 3)
non*

non tantum singulis diebus repetit quae docens ea die proposuit, sed et tota quadam doctrina absoluta eam, et finito toto collegio, totam disciplinam repetit; 4) tabularum mnemonicarum usu memoriae consulit; 5) dubiorum quae cum premunt a docente resolutionem petit; 6) in practicis disciplinis ad casus quos fingit, vel ei noti sunt applicat veritates ex collegiis haustris. Vi finis repetitionis.

Dicatur de tabularum mnemonicarum constructione et usu. L.B. de WOLF de tabularum mnemonicarum constructione et usu Hor. subl. A. 1730. Trim. Aestiu. n. 3.

§. 197.

Licet pro praesenti rerum statu in repetitione ad alia scripta praeter compendium configere debat repetens, tamen, si compendia academica sine naevis essent, et docentes munere suo semper rite fungerentur, genuina discendi methodus non permetteret, dissentem in academiis alia scripta praeter compendia legere (§. 180.).

TIT. II.

DE METHODO DISCENDI ABSOLV- TIS STVDIIS ACADEMICIS.

§. 198.

Qui studiis academicis absolutis, viua voce docente praeeunte, non amplius discere potest, is 1) studiis academicis finitis omnia ea, quae in academiis didicit, iterum repetere debet; 2) re-
peti-

petitione hac *absoluta*, per a) *lectionem*; b) *meditationem*; c) *praxeos cum theoria coniunctionem in practicis disciplinis*; d) *conuersationem cum eruditis*; e) *iter litterarum vltiores in studiis facere debet progressus*. Haec enim sunt media vltiores in studiis faciendi progressus, praeter quae alia non dantur.

§. 199.

Lectio librorum nunc instituenda duplex est, cursoria, per quam legens non nisi hoc intendit, vt exploret de quo scripserit et quomodo scripserit auctor; et *specialis*, quae eo tendit, vt lector per eam veritatum in scripto obuiarum sibi adhuc incognitarum notitiam acquirat.

§. 200.

Lectio cursoria scripti praecedere debet lectionem specialem, et *in cursoria lectione praeferim præfatio et index scripti consuli debent*. Prius ex definitione patet: posterus vero inde, quod præfatio et index continere soleant quod explorandum per hanc lectionem.

§. 201.

In lectione scriptorum speciali 1) propositiones ipsae ab iis quae ad demonstrationem et illustracionem earum pertinent separari debent, præsertim tum, si scriptum scientifica methodo non est conscriptum. 2) *Si propositiones in scripto obuiae letori iam cognitae sunt, eas statim dimittit, si non, illustrantia legere et tum demonstrationem ponderare debet, quod sit, si veritates demonstranda vel singularis, vel uniuersalis quidem ait positiva historice demonstrata est, dum in testimoniorum addu-*

itorum vim inquirit, si vero veritas demonstrata vniuersalis eaque vel naturalis, vel positiva philosophice demonstrata est, dum ad principia sibi iam nota revocat eam. 3) Quo facto, si in priori casu per testimonia demonstratum est quod demonstrandum erat, vel in posteriori casu legens demonstrationem cum principiis suis connectere potest, hac noua veritate locupletat suam cognitionem, referendo eam ad eum locum quem in syste-
mate occupare debet, et quidem, si memoriae confi-
dere potest, mentaliter, si non, annotando eam.
Quod si vero 4) demonstratio talis non est, aut au-
tor nullam adiecit demonstrationem, de inuenienda
demonstratione lector sollicitus esse debet, quod si ex
voto procedit, obseruat quae num. praec. in fine dicta
sunt, si non, dimittit eam propositionem et legendo
pergit. Vi primae regulae discendi (§. 175).

§. 202.

*Qui per meditationem ulteriores in studiis suis,
finitis studiis academicis, facere vult progressus, is
secundum regulas quas ex logica didicit eam legi-
time instituere debet, et tum veritate noua inuenta
obseruare quae §. praec. n. 3. circa finem dicta sunt.
Itidem vi primae regularum de methodo di-
scendi ingenere supra traditarum (§. 175.).*

§. 203.

*Qui practicando ulteriores in studiis facere vult
progressus, is pro disciplinarum diversitate id age-
re debet, quod praxin eius inuoluit, de quo pree-
cognita specialia, cuiuslibet practicae disciplinae
conferri debent.*

§. 204.

§. 204.

Qui per conuersationem cum eruditis in studiis proficere vult, eius est ut per conuersationem cum iis 1) exploret quid sentiant de aliis eruditis; 2) bibliothecas eorum perlustrandi occasionem quaerat; 3) studendi methodum qua usi sunt et adhuc vtuntur sibi cognitam reddat; 4) quibus subjiciis, praesertim quibus scriptis, vtantur detegat; 5) quae eruditae occupationes eos iam distractos teneant, quaeque scripta iam ediderint, aut edere decreuerint, expiscetur. Haec enim sunt media per conuersationem cum eruditis proficiendi.

§. 205.

Ad ulteriores in studiis progressus facit etiam iter litterarium seu docta peregrinatio (§. 198.). De hoc medio itaque quaedam addenda sunt.

§. 206.

Iter litterarium est iter ideo suscepturn, vt per illud ulteriores in studiis faciamus progressus.

§. 207.

Quae quoad iter litterarium cuiuslibet eruditii obseruanda sunt, redeunt ad sequentia summa capita: 1) praeparationem ad tale iter; 2) ea quae in itinere ipso obseruare debet peregrinans.

§. 208.

Is rite praeparatus iter litterarium ingreditur qui 1) finitis demum studiis academiis tale iter suscipit; 2) in ea loca id dirigit praesertim in quibus academiae florent; 3) aliqua litteraturae notitia iam tinctus est. Quae omnia per se patent.

E 5

§. 209

§. 209.

Is obseruat, quae in ipso itinere litterario obseruanda sunt, qui in itinere litterario ubique, ubi subjicit, 1) cum eruditis, qui ibi viuunt, dicto §. 206. modo conuersatur; 2) bibliothecas ibi obuias tam publicas, quam priuatas perlustrat; 3) bibliopatia frequentat; 4) mortuorum eruditorum, qui ibi sepulti iacent, epitaphia oculis suis subiicit; 5) rariora scripta ibi forsitan obuia sibi comparare studet. Speciatim vero peregrinans qui in docta peregrinatione constitutus in loco, ubi academia floret, subjicit 1) ibi docentes audire; 2) quae disciplinae ibi et quomodo tractentur explorare; 3) in ea quae ad statum externum docentium pertinent inquirere; 4) institutorum quae faciunt ad eruditio-
nis incrementum notitiam acquirere debet. Quae vero in locis academiis destitutis, ut et speciatim in hoc vel illo loco obseruanda sunt, differunt pro peregrinantibus diueritate ratione studii principalis cui se manciparunt, unde ea in praecognitis speciali-
bus cuiuslibet disciplinae explicanda sunt.

Matth. BERNEGGER de peregrinatione stu-
diosorum. Ien. 1714.

Io. Christ. SENSTIVS de peregrinatione do-
cta rite instituenda. Rost. 1706.

F I N I S.



La 1485

S.





DANIELIS NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONS. AVL. ET PROF.

I V R. O R D I N. I N R E G I A

F R I D E R I C I A N A

PRAECOGNITA
ERVDITIONIS GENERALIA
AVDITORVM VSIBVS



HALAE MAGDEBVRGICAE

IMPENSIS OFFICINÆ LIBRARIAE RENGERIANÆ.

M D C C L V